



Tomus XIII  
Miscellanea Philoſoph.

*[Faint handwritten signature or initials]*

The  
Diff  
Gr  
It  
M  
Po  
Ex  
Per  
Ex  
C  
Se  
A  
Ex  
C  
E  
E  
V  
C  
J  
E  
Te  
F  
G  
S





9.

ΣΤΝ Θ Ε Ω.

POSITIONES PHILO-  
LOGICÆ

Græcum Novi Te-  
stamenti contextum con-  
cernentes.

*Publicæ disquisitioni exhibitæ*

à

M. JOHANNES ERICO OSTER-  
MANNO GRÆCAR. LITERAR.  
PROF. PUBL.

RESPONDENTE  
GEORGIO SYLM  
Hamburgensi.

DISPUTATIO TERTIA.

Habebitur

Ad d. 6. Februarij.

In Auditorio majori, horis matutinis.

---

WITTENBERGÆ

Excudebat MICHAEL Wendt.

ANNO MDCCLXIX.





Geometriae

Geometriae

Excehbrt MICHAEL  
Anno d. b. CLIX





POSITIONUM PHILOLOGI-  
CARUM,  
GRÆCUM NOVI INSTRUMENTI  
CONCERNENTIUM CONTEXTUM,  
PRIMA  
DISPUTATIONIS TERTIÆ.



St quidem Participiorum insignis usus apud Græcos idemq; varius in Novi Instrumenti literis: cæterum, cum stabi-  
liendæ observationi suæ, quâ Præsens Participium pro Verbo ex Hebræorum consuetudine positum ait Theodorus Beza, loca illa producit Annotationum suarum volumine, Rom. V. 11. Act. XXVI. 20. Rom. III. 24. 2. Cor. X. 5. & Cap. VII. 5. itemq;ve cap. V. 12. & cap. XI. 13. I. Thes-  
sal. II. 11. Act. XXIV. 5. Rom. IX. 28. & I. Cor. III. 19; nisi ipse egregiè fallor, fallitur magnoperè do-  
ctissimus Interpres. Neque enim satis est, ex-  
actè & ad ungvem callere Ebræi idiomatis indolem, quam laudem & facilè & libenter ac merito etiam suo tribuimus prolixè eidem clarissimo Viro: sed id præte-  
reà etiam est opus, ne, si qua in recentis Voluminis scri-  
ptura occurrunt minus expedita in speciem & plana, Orienti statim imputentur. Est enim reverà ignorantia Græcismi, quod vir doctus ajebat, fons ac origo & ma-  
ter infelix quædam Ebraïsmorum. Quod ut penitus appareat, excutiemus ordine in medium proposita lo-  
ca, videbimusque, Græcum an Ebræum Sapiant sermo-  
nem.





Primò itaqve ad comma undecimum Capitis V. Rom. ait, non satis rectè τὸ καυχώμενοι vertisse Erasmus per *gloriantes*, quoniam sententia hoc pacto prorsus hiaret. Positum autem per Ebraismum esse καυχώμενοι pro καυχώμεθα, quomodo Syrus quoque verterit Interpres. Quare, cum in uno codice καυχώμεθα se testetur reperisse scriptum (quam lectionem etiam ex Græco quodam exemplo affert Erasmus, id quod sibi Monasterium Prædicatorum apud Basileam exhibuerit,) continuò mutatam Germanam lectionem suspicatur ab ijs, qui hunc Ebraismum ignorarint. Nimirum id vult Beza, καυχώμενοι scriptum esse pro καυχώμενοι ἐσμεν, *gloriantes sumus*, id est, *gloriamur*. Quà ratione Eccles. I. 7. legitur, *Omnia flumina eunt in mare* sc. sunt, hoc est, *eunt in mare*: & cap. IV. 5. *Stultus complicans manus suas* וְאֵלֶּיךָ עֹמֵם *consumens carnem suam*, h. e. *complicans, consumens est*, id est, *complicat, consumit*. Verum enim verò, quod fieri consuevit, ut quæ domi nata parum habeamus pensi, externis semper inhiantes, id Bezae etiam venit usu. Quem cum fugere Græci sermonis ingenium non poterat, tamen inveteratum alieni ac peregrini studium ita in trāsversum rapuit, ut quæ ante pedes essent, agnoscere pro talibus haud vellet. Simplex certè & undiqvaque concinna loci structura hæc est, κατὰλλαγέντες οὐ μόνον, ἀλλὰ καὶ καυχώμενοι ἐν τῷ Θεῷ σωθησόμεθα ἐν τῇ ζωῇ αὐτῆς: *reconciliati haud tantum; sed gloriantes nunc etiam in Deo* (vel, tales, quibus gloriari jam licet in Deo) *per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem adepti sumus, servabimur per vitam ipsius*. Quibus quid magis Græcum esse possit, qui meus est stupor, equidem non video. Ad quid ergò proderat,  
Ebræa



Ebræa asciscere, & purum Græcum sermonem alieno  
idiomate inficere voluisse? Sed ita solet Theodorus  
Beza. Cujus cætera ejusdem farinae notata recen-  
sebimus.

III.

In Apostolorum actis idem observavit ad ca-  
pitis XXV I. comma vicesimum, ἀπαγγέλλων  
pro ἀπήγγελλον vel κατήγγελλον positum esse, *annuncians*  
pro *annunciandi*. Verba sacri contextus ita habent:  
ἀλλὰ ἔτις ἐν Δαμασκῶ πρώτον καὶ Ἱερουσόλοις, εἰς πᾶσαν τὴν  
χωρὴν τῆς Ἰουδαίας, καὶ τοῖς ἔθνεσιν ἀπαγγέλλων μετανοεῖν καὶ ἐπι-  
στρέφειν πρὸς τὸν Θεόν & quæ sequuntur: *sed ijs qui sunt Dama-*  
*sci primum & Jerosolymis, & per omnem regionem Judææ, de-*  
*inde & gentibus annunciabam ut agerent penitentiam & con-*  
*verterent se ad Deum.* Ubi in nonnullis codicibus, inquit Be-  
za, *scriptum invenimus ἀπήγγελλον.* Sed puto hanc germa-  
nam esse lectionem ac iterum participium pro Verbo positum ef-  
se Hebræorum more. Sed pace Interpretis, cur non etiam  
Græcorum, si vel maximè aliud nihil esset, quod excu-  
saret? Nam & ita profanos de Græcis loquutos, sui, ut  
videtur, oblitus ipse Beza ad Capitis XXIV. Actorum  
comma quintum ex Eustathij Thessalonicensium Epi-  
scopi doctissimis in Homerum annotationibus osten-  
dit. Aut fortè ideò Ebraïsmum appellabimus illud  
dicendi genus, quia illi genti multò est familiarissi-  
mum? Atqui hoc pacto etiam Latinus sermo Ebrai-  
smorum erit obnoxius, & omne præterea genus Lin-  
gvarum, quia omnes aliquid ejus alunt & complectun-  
tur in se, quod Ebræo idiomati aliquâ ratione conve-  
niat. Verùm de his inter conflictum dabitur fortè a-  
gendi ansa. Nunc illud saltem est improbatione dignū  
in Beza, quòd tam securè negligentem in eruenda Græ-



cā indole se gessit. Ita etenim ordinanda verba sunt, &
 construenda inde usq; à commate decimo nono: ὄθεν,
 βασιλεῦ Ἀγρίππα, οὐκ ἐγενόμην ἀπειθής, ἀλλ' ἀπαγγέλλων με-
 ταροῦν τοῖς ἐν Δαμασκῶ & quæ deinceps leguntur. Unde, Rex
 Agrippa, non eram inobediens cælesti visioni, sed annuncians
 (sc. eram, hoc est, annunciabam, prout apud Ciceronem
 alibi quoque, est dicens pro dicit positum legimus) ἴς,
 οἱ συνὲ Δαμασκιπρῶτον, ἔ' Ἱεροσολυμῶν. Itaque τὸ ἐγε-
 νόμην non tantum ad ἀπειθής referri debet: sed etiam
 ad ἀπαγγέλλων est ἀπὸ κοινῆς reperendum. Cæterum qui
 arguere Ebraismi ac peregrinitatis hoc genus voluerit
 dicendi, næ eum tota Græcia fugiat necesse est. Sic e-
 nim Thucydides, ὡς ἐγένοντο πλέοντες κ' τὴν Λακωνικὴν, προ,
 ὡς ἐπλεον. Sic Isocrates, γίνε τοῖς ἄλλοις μηδ' ἐν ἐτέροις ὧν κατὰ
 δηλῶ, id est ἰδί: in neutris (nec in gaudio nec in dolo-
 re) alijs sis nimis apertus. Sic Demosthenes, τὰς ὀλίγην ἀν
 ἐκείνῳ ποιήσοντες ἀνηρηκότες ἐκ τῆς πόλεως ἔσθε, ἀν ἴστρε ἀνέ-
 λητε: pro ἀναρῆσετε. Eos qui quidvis Philippi causâ facturî
 sunt, sustuleritis, si hos (Æschinem nempe & ejus com-
 plices) sustuleritis. Sic ipse etiam Æschines, περὶ πειθίας
 ἢ τε πεποιθότες pro πεποιθότες. Sic Sophocles, εἰρηκας,
 εἰς pro εἰρηκας. Et tum sæpissimè alibi, tum iterum in
 de Corona Demosthenes, εἰάν ἡδικηκας τυχάνεις, pro, εἰάν
 ἡδικηκας. Ex quibus omnibus apparet, quantum partici-
 piorum cum Verbis Substantivis, quæ vocant, sit usus,
 dum pro ipsis verbis ponuntur. Circumspectius ergo
 agendum Bezae erat, ne in Orientem confugeret antè,
 quàm Occidente excluderetur.

#### IV.

Nihil pluris valet, quod ad Romanorum III. Caput,
 comma ipsum 24. notavit. Δικαιώμενοι, inquit, justifi-
 can-



*cantur autem: Vulgata, justificati, omiſſa Conjunctione, quæ  
 prorsus videtur necessaria, sicut in Græcis Scholijs legitur hic lo-  
 cus. Deinde δικαιόμενοι pro δικαιῶσαι positum est Hebraorum  
 more. Sed nec aliter hunc locum Erasmus expressit,  
 qui ut redderet sensum dilucidioſem, addidisse se de  
 suo conjunctiunculam autem scribit. In quo hacte-  
 nus quidem utriqve assentimus, quod sensus hoc pacto  
 efficiatur clarus: cæterum, quod ad structuram, nec E-  
 bræi aliquid subest, & quicquid est, merè Græcum est.  
 Ita sonant verba: πάντες γὰρ ἡμαρτον καὶ ὑπερέβηται τῆς δόξης τῆς  
 θεῶν, δικαιόμενοι δωρεὰν ἢ αὐτῶν χάριτι & quæ sequuntur. Ubi  
 planè ex Græcorum perpetuâ consuetudine ac indole  
 ὑπερέβηται δικαιόμενοι positum pro ὑπερέβηται καὶ δικαιῶσαι.  
 Deus autem bone, quid frequentius, quid usitatus,  
 quid magis proprium Græco sermoni, quàm duo  
 Verba cum conjungenda veniunt, alterum uti in Parti-  
 cipium mutetur? Proinde, si rotundè reddenda verba  
 Græca sint, ita fiet: *omnes peccaverunt, omnes destituuntur  
 gloriâ Dei, ut qui justificantur gratis illius gratiâ.* Vel, si in  
 ordinem redigas verba ad eum, quem dixi, modum,  
 brevius: *omnes destituuntur gloriâ Dei, & justificantur gra-  
 tis, sive, justificantur autem gratis.* Quæ ante expositis  
 conveniunt. Quid ergò hîc alieni & externi?*

V.

In secunda ad Corinthios X. Capite leguntur  
 commate quinto ista: λογισμὸς καθαρῶντες, & paullo  
 post, καὶ ἀσχυαλωτίζοντες πᾶν νόημα εἰς τὴν ὑπακοὴν τῆς χειρὸς.  
 Quæ verba sic extulit Beza: *ratiocinationes evertende  
 & in captivitatem redigendo omnem cogitationem ad obedi-  
 um Christo.* Mox in annotationibus hærens ac dubius,  
 suum an Erasmi sequatur interpretamentum, eò dila-  
 bitur tandem, ut, quodcunque arripiat, Ebraismus con-  
 stitua-



stituatur in praesenti loco. Nam sive ex sua mente dicat,  
 καθαρεύοντες positum in consequentia esse pro καθαρεύοντων,  
 genus ipsi est dicendi Ebraum, prout plenius ostendit  
 ad comma 13. & II. capitis praecedentis noni: sive E-  
 rasmm tueatur, Graecum certè haud facit τὸ καθαρεύον-  
 τες. Ita enim inquit, Erasmus vertit, *quibus consilia demo-*  
*limur: ita ut ad ὄπλα referatur subaudito relativo ἧτων He-*  
*braorum more, & Participio posito loco Verbi.* Sed per ve-  
 niam Beza, iterum bonus hinc dormitat Homerus. Prae-  
 terquam enim, quod ad comma 13. capitis noni sponte  
 sua fatetur, ita etiam Atticos solere loqui, id quod Co-  
 rinthus annotarit, cujus ex Thucydide prolatum ad-  
 ducit locum illum, οἱ δὲ Ἀθηναῖοι ἔπειθ' ἕσπερον κατὰ πλοῦ-  
 σαντες, ὡς ἐώρων, ἀπήγγειλαν εἰ στρατηγοί; pro, τῶν Ἀθηναίων  
 κατὰ πλοῦσαντων: falsus de cætero est, quocunqve se ver-  
 tat Beza. Nam nec ab Ebrais petita talia sunt, nec  
 structura vacillat vel quicquam. Quod manifestum  
 fiet, initio si rectè distinguatur comma tertium, dein-  
 de, si parentheses nota constituatur post στρατευ-  
 ομεθα ante hæc verba, τὰ γὰρ ὄπλα, & ipsa parenthesis clau-  
 datur ad vocem ὀχυρωμάτων commate quarto. Jam o-  
 mnia plana hoc modo fient, & sic habebunt: ὄν σαρκὶ γὰρ  
 περιπατοῦντες, ἔχ' ὄπλα, στρατευόμεθα, λογισμῶς καθαρεύοντες  
 καὶ ἀχμαλωτίζοντες πᾶν νόημα εἰς τὴν ὑπακοήν τοῦ Χρ. 58:  
 hoc est, *nam in carne quidem, non secundum carnemambu-*  
*lantes, belligeramus, rationes evertentes & captivam traden-*  
*tes omnem cogitationem ad obediendum Christo.* Ubi στρατευό-  
 μεθα καθαρεύοντες idem est, quod στρατευόμεθα καὶ καθαρίζομεν,  
 de quo genere dicendi in praecedentibus. Quibus,  
 quid expeditius esse possit, non video. Neq; verò re-  
 fert, olim pro καθαρεύοντες etiam καθαρίζοντες lectum fuis-  
 se, id quod ad canonem 22. Concilij 7. Oecumenici In-  
 terpre-



terpretes Zonaras & Balsamo notarunt. Utrinqve enim Participii ratio manet. Post ἡμετέρας σαρκας autem distinctiunculam quod diximus, constituendam & ad proximè præcedēs περιπατούντες hæc verba referenda esse, secundum hujus capituli comma extremum omninò postulare videtur, ut ut nihil inconvenientis altera lectio alat. Quæ quidem inspicienti accuratius & volenti erunt manifesta.

### VI.

In eadem illâ, quam Apostolus ad Corinthios dedit, secundâ Epistolâ capite VII. commate 5. extant hæc verba: καὶ ὅτε ἐλθόντων ἡμῶν εἰς Μακεδονίαν, ἡδονήν ἔχοντες ἄνεσιν ἢ σαρκῶν, ἀλλ' ἐν παύσει θλιβόμενοι: etenim cum venissemus in Macedoniam, nullam habuit relaxationem caro nostra, sed in omnibus afflicti sc. fuimus. Ad quæ Beza: θλιβόμενοι, subintellige γόναμεν ex Hebræorum consuetudine, apud quos ita sæpe subauditur Substantivum verbum. Cui geminum, quod capite V. ejusdem Epistolæ commate 12. habetur: ἡμετέρας σαρκας συνιστάμεν ὑμῖν, ἀλλ' ἡμετέρας σαρκας δίδοντες ὑμῖν καυχήματα ὑπὲρ ἡμῶν: non enim iterum nos ipsos commendamus vobis, sed occasionem vobis præbentes (sc. sumus, id est præbemus) gloriandi de nobis. Ubi Beza: δίδοντες, subintellige ἴσμεν, propriè δίδωμεν, Hebræorum more. Idem utroque loco insinuat Interpres. Nimirum Participium pro verbo positum esse, omisso Substantivo verbo, ut Grammatici loquuntur. Ac id quidem ex Ebræorum consuetudine. Sed cur iterum non Græcorum quoque Beza? Memineris enim, quæ ad supra citatum caput vicesimum & quartum Apostolicorum actorum, comma ipsum quintum consignasti, talia etiam apud Homerum & Pnidarum & Sophoclem (addo & Thucydidem

B

dem



dem) legi, quod ex Eustathio didiceras. Ita enim eruditissimus Episcopus ad versum 307. Iliados θ. ait: τὸ δὲ, ἢ ἐκ κήπων καρπῶν βεβρωμένη, ὁρθῶς μὲν εἰπεῖν, λείπεται τὸ ἔστιν. ἵνα λέγῃ ὅτι ἢ τις τῶν καρπῶν βαρυνμένη ἔσθι. τῶν πνευ δὲ παλαιῶν ἠθέλησαν τὸ βεβρωμένη νοῆσαι ἀντὶ τῆς βεβρωμένης, εἰπόντες, εἴληφθαμεν τὴν ἀντὶ ῥήματι. Καὶ σημειώσαντες τὴν λέξιν, ὡς καμνοχήμενα. ἔχει δὲ ὁμοιότητα πρὸς τὸ καὶ τὸ, μὴ ὡς μὲν νῦν εἰρημένῳ ἔσω, ἢ γου, ὡς νῦν εἰρηλαί. Ὅμοιον καὶ ὡσαύτως Ὀμηρικῶς Ζηλωτῆ Σοφοκλεῖ τὸ, πρῶτά σε κεκλόμεν: ἢ γὰρ καὶ ἐκεῖ λέγει τὸ εἰμί, ἢ τὸ κεκλόμεν ἀντὶ τῆς κεκλωμαι εἰληπταί. Χρησις δὲ ὁμοία σημειώται πρὸς τὸ Πινδαρῶ ἐν Ὀλυμπιονίκαις. Quod si hæc ita sunt, prout sunt, quævesania dicam an oscitatio, Ebraismos appellare illos loqvendi modos, qui in ipsa Græcia nati? Nam quod convenientia quidem detur in Lingvis, certum est. Inde autem velle omnia ad Ebræi sermonis canõnem revocare, ecqvis paullò severius & acrius de re cogitans probaverit? Aut si iterum eò recurremus, quòd frequentiora talia in Ebrææ gentis ore ac usu deprehendantur, ac Apostolorum temporibus hoc dicendi prævaluerit genus; quis proprietatem tamen suam Græco sermoni adimet, quam jam antè etiam in se habuit semper? Ac itaque res certè tanto minimè est interprete digna, quando ad orientis regulas talia omnia exigit. Longè prudentior Erasmus, qui non Ebræis tantum, sed & Græcis frequenter familiare esse, ut subaudiatur verbum substantivum, ad caput VII. citatum scribit. Idem, qui ad caput V. observavit, frequentius id fieri apud Græcos, quam apud Latinos. Sed videamus porrò τὸν παρρησιῶν Bezam.

VII.

Similia facit in commate 13. capitis XI. posterioris ejus



ejus Epistolæ ad Corinthios perscriptæ. Comma ipsum sic habet: οἱ γὰρ τοῖσδε ψευδοῦσες ἀποστόλοι ἐργάζονται δόλοισι, μεταχρηματιζόμενοι εἰς ἀποστόλους Χριστοῦ: tales enim Pseudapostoli operarij dolosi (sunt,) transfigurantes se in Apostolos Christi. De quo loco ad comma. capitis secundi primæ ad Thesalonicensis ait, subaudiendum substantivum verbum esse Hebræorum more. Idem vult scilicet, quod in superioribus. Ad participium μεταχρηματιζόμενοι suppleri τὸ εἶσι debere. Atqui egregiè hallucinatur Interpret. Neq; enim ad μεταχρηματιζόμενοι statim ponendum τὸ εἶσι est; sed ad δόλοισι hoc modo: οἱ γὰρ τοῖσδε ψευδοῦσες ἀποστόλοι ἐργάζονται δόλοισι εἶσι, ad quæ deinceps Participium μεταχρηματιζόμενοι Græcis consveto more infertur. Ac veniebat in mentem initio; sphalma fortè subesse typographicum in exprimendo loco & excusationem proinde mereri Beza: sed cum idem super eâ ipsâ re legerem ab eodem traditum ad comma. capitis VII. secundæ à Corinthios, manendum mihi in sententia fuit. Quò factum, ut tantò magis mirer, in re tam manifesta & tam usitatâ Græcis ita enormiter exerrare potuisse tantum Virum sed quid non facit—*novandi insana libido.*

### VIII.

Cum semel injecerim mentionem loci, qui I. Thesfal. II. II. legitur ille, καθάπερ οἴδατε, ὡς ἕνα ἕκαστον ὑμῶν, ὡς πατὴρ τέκνα ἑαυτοῦ, παρακαλῶντες ὑμᾶς καὶ παραμυθούμενοι, ordo postulat, ut eum nunc quoq; evolvam. Sic autem Beza reddidit: *sicut nostis, quomodo unumquemque vestrum, tanquam pater liberos suos, hortabamur & consolabamur.* Cujus versionis suæ paullò post prolixam reddit

B 2 οἱσδε ratio-



rationem in annotatis. Nam postquam multis improbasset bonam atq; germanam Erasmi interpretationem; ipse tandem, quæ jam pridem antè observaverat in Ebræorum scitis, expromit longo ordine, & peregrinâ quâdam ratione decernit, quæ domestica poterat ac debebat omninò. Est, inquit, post participium *παρκαλῶντες* subaudiendum substantivum verbum ex Hebræorum more, quo circum scribere solent præteritum imperfectum vel præsens, ut sæpè jam annotavimus. Et pronomèn ὁμας redundat ex Hebræorum idiotismo: qui quamvis expresso antecedente, solent tamen affixa, quæ vocant, verbis ac nominibus subjicere, ut observavimus multis jam locis, veluti Rom. 16, 27. & 2. Cor. 4. 4. & Ephes. 3. 21. quod non animadvertens Vetus interpres copulam ante *μαρτυροῦμενοι* sustulit contra Græcorum codicum fidem, coactus tamen illud accipere pro *ἡμαρτυροῦμεθα*. Verùm, nec circumscriptio illâ imperfecti præteriti, nec pleonasmò eo, quem nequicquam hic fingit recens interpres, opus fuisse, adeo quæ nec Ebræi aliquid latere idiomatis in præsentis loco, facilè judicaverit, qui cum doctissimis æquè ac diligentissimis Erasmi, Roterodamensi altero, altero Schmidio, hujus Academiæ quondam Professore ac Seniore optimè merito, Græcis usitatissimâ familiarissimâ quæ Ellipseos figurâ suppleverit *ἡγαπήσαμεν*, dilexerimus, aut simile aliquod verbum, quod legenti unicuique sacrum eum contextum insinuatur ac incidet citius, quàm monitore sit opus. Ac itaque sic constituètur commata ipsa illa II. & 12. *quemadmodum nostis, ut unusquisque vestrum, tanquam pater liberos suos (ἡγαπήσαμεν) dilexerimus, hortantes vos & consolantes.* Quò pacto rectè ac ex more Græcis proprio coherent τὸ ἡγαπήσαμεν ὡς παρκαλῶντες, id



id est, *dilexerimus & hortati fuerimus*, & quæ sequuntur.

IX.

Porro, quæ ad comma quintum capitis XXIV. Acto-  
rum annotavit Beza, dum *ἑργότες*, pro *εὐεργότες ἐσμέν*, vel  
*εὐεργμεν*, positum ait per Benoni Hæbraum, cadunt per  
ea, quæ mox adjecit Interpres ex Eustathio, suprâ etiam  
à nobis citata.

X.

Cæterum, quod in loco ex Epistolæ ad Romanos no-  
no capite, commate vicesimo & octavo de prompto  
adversus Erasmus inter alia contendit Beza, verba i-  
sta, *λόγον γὰρ σωτελῶν καὶ συντέμνων ἐν δικαιοσύνη*, ita reddenda  
fuisse, ut saltem participia illa, ut verba, ex Hæbræo-  
rum idiotismo acciperentur, ita comparatum est, ut  
confutatione non indigeat. Cùm enim ex LXX. In-  
terpretum versione transcripta verba illa sint, quippè  
quæ Esaia X. capite commate ipso 22. leguntur; non  
minus censoriæ virgulæ erunt immunia opinor, quàm  
quæ ab alijs auctoribus inveniuntur citata olim & in  
novos libros translata.

XI.

Idem judicium fuerit de ijs, quæ in priore  
ad Corinthios capite tertio, commate decimo nono  
habentur, & ita sonant: *ὁ δρασόμενος πύς σοφίας  
ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτῶν*. Ubi iterum participium E-  
bræorum more positum pro verbo ait Beza. Sed  
quando hæc desumpta ex Jobi quinto capite sunt, nō  
attinet aut taxare ea magnoperè, aut medicinā parare  
generi dicendi. Quod quidem LXX. Interpretum ver-



sioni, quantum ad structuram, quæ in participio consistit, respondet, licet verba paullo aliter apud Interpretes istos, prout hodiè illorum circumfertur interpretatio, sonent. Quæ ita habent, ὁ κατὰ λαμβάνων σοφῆς ἐν τῇ φρονήσει. Ac itaq; frustra Beza est, dum talia notat.

## XII.

Ad extremum extat locus in secunda ad Corinthios capite quinto, commate sexto. Verba ista sunt: θαρρῶντες ἐν πάντοτε, καὶ εἰδότες, ὅτι ἐνδημῶντες ἐν τῷ σώματι, ἐκδημῶμεν ἀπὸ τοῦ κυρίου: hoc est, confidentes igitur semper, & scientes dum habitamus in corpore, nos peregrè abesse à Domino. Lis est de voce θαρρῶντες, itemq; alterà εἰδότες, an per verba ex Ebræorum more reddenda sint, *confidimus, scimus?* Beza, dum Erasmo maculam ex versione inurere voluit, parum observans fuit, quæ doctissimus vir in annotationibus habet. Ubi mavult τὸ θαρρῶντες ad θαρρῶμεν commate octavo cum insertâ sive παρενθήκη referri. In quo verus quidem est, modò eandem παρενθήκη non in θαρρῶμεν, sed in τῷ φιλοτιμῶμεθα, quod commate nono demum extat, finiisset. Si enim rectè inspicimus sacrum locum, videtur omninò parenthesis constituenda ante comma septimū, & claudenda post octavum. Quo pacto salva erit structura universa ad istum modum, θαρρῶντες φιλοτιμῶμεθα. Quod cum Bezæ etiam placeat tandem ac probetur, non est, quod, quantum ad hunc quidem locum, in ipso improbemus.

ΤΩ ΘΕΩ ΔΟΞΑ.



*Ad Eximium*

*Prestantissimumque*

Dn. GEORGIUM SYLM, S. S.  
Theol. Cult. strenuum,

*Amicum & Consalinum dilectissimum*

*De*

Fontium in N. T. puritate disputantem.

**Q**uando sitim properat suavi sedare Faler-  
Hic nunc ad cellas, alter ad Idalium: (no-  
Te, Perchare, juvat dulces lustrasse Sionis  
Fontes, atq; levat flumen adire sacrum.  
Hoc clara ostendit TIBI & Ostermannia de-  
xtra,

Te minimè fallet dextera fida Viri.  
Perge sequi dextram hanc porro conamine  
pùlbro!

Hec TIBI monstrabit, crede, salutis aquas.  
Det DEUS ipse favens, nunquam TIBI flu-  
mina viva

Desint, TE potet gratia dia benè!

Singularis amoris test. e.  
gratulab. deprop.

M. Joh. Ern. Gerhardus Jenensis.



**W**er man das für allen preiset/  
Was sich wirklich uns erweist;  
Wie man nichts vom Baume hält/  
Wovon keinem Frucht zufällt:  
Und man lachet solcher Neben  
Die uns keinen Wein nie geben:

So ist auch der zu verlachen/  
Der sich niemals dran will machen  
Zu erweisen seinen Fleiß/  
Zu bezeigen seinen Schweiß/  
Der ihm offters außgedrungen/  
Wenn er hat nach Kunst gerungen.

Dieses dein recht kluges sinnen/  
Hat dich bracht an diß beg/iden/  
Daß du/ Bruder/ jekund siehst  
Und getrost entgegen gehst  
Denen/die da wollen wissen/  
Ob du dich stets recht beflissen.

Fahre fohrt in solchen dingen/  
Es wird dir gewis gelingen/  
Bis du da gelanget hin  
Wornach strebt dein kluger Sin:  
Nebenst andern seinen Söhnen  
Wird anch dich Apollo fröhnen.

DREIßZEH WITTE von Hamb.



01 A 6640

ULB Halle 3  
003 108 309



Sb.


VD 17











9.  
ΣΤΝ ΘΕΩ.

POSITIONES PHILO-  
LOGICÆ

# Græcum Novi Te- stamenti contextum con- cernentes.

*Publicæ disquisitioni exhibitæ*

à

M. JOHANNÉ ERICO OSTER-  
MANNŌ GRÆCAR. LITERAR.  
PROF. PUBL.

RESPONDENTE  
GEORGIO SYLM  
Hamburgensi.

DISPUTATIO TERTIA.  
Habebitur  
*Ad d. 6. Februarij.*  
In Auditorio majori, horis matutinis.

---

WITTENBERGÆ  
Excudebat MICHAEL Wendt.  
ANNO dō b CXLIX.

